St. Dr.
7316
Travo

בע״ה

DISCURSUS POLITICUS SECUNDUS
DE JUSTITIA PARTICULARI

quem

SUPERIORUM PERMISSU,

In

ACADEMIA REGIOMONTANA PATRIA,

DIE JANUAR. A.C. cIɔ Iɔc LXXXV.

PRÆSIDE

Excellentissimo Præclarissimoq;

DN. M. GEORGIO THEGEN,

Prof. Phil. Pract. ORDIN.

PRÆCEPTORE & AVUNCULO

suo summoperè colendo

Publico Eruditorum examini

submittit

GEORGIUS FUNCCIUS.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

INCLYTÆ
REIPUBLICÆ PALÆOPOLITANÆ, PATRIBUS,
VIRIS
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, prolixò rerum usu Famigeratissimis
DNN:
DN: JOHANNI WEGER/
CONSULI GRAVISSIMO.
DN: FRIDERICO von DERSCHAU/
SERENISS: ac POTENTISS: ELECT: BRAND: supremi quod in Borussiâ est APPELLAT: JUDIC: ADSESS: eminentissimo, PROCONSULI dignissimo.
Cæterisq; DOMINIS SENATORIBUS,
DN: CYRIACO HEILSBERGER/
DN: HEINRICO BARTSCH/
DN: GEORGIO TETZEL/
DN: FRIDERICO HELWICH/
DN: JOHANNI BROCK/
DN: FRIDERICO FAHRENHEIT/
DN: GEORGIO DIETMER/
DN: JOHANNI WILMSEN/
DN: WILHELMO MÜHLKÜNSTEL/
Nec non,
DN: GEORGIO CASSENBURG/
SECRETARIO longè meritissimo.
MAGNIS MUSARUM PATRONIS, MÆCENATIBUS ac PROMOTORIBUS meis, ætatem venerandis,
ἐξέτασιν hanc ἠθικὴν, STRENÆ LOCÒ, in aliqualem sui commendationem affert & offert,

NOn altius repetendæ videntur rationes, solidæ magis quam solitæ, cur VOBIS, VIRI NOBILISS. AMPLISS. PRÆSIDES JUSTITIÆ gravissimi, hunc de JUSTITIA discursum dedicatum, atq; FAVORIS VESTRI FAVONIO, sublevatum velim. Ipsa enim quæ manus vestras osculatur materies rei, vel non roganti, tot rationum dictitat pondera, ut à quibus potissimum telæ præsentis sumam exordium, animi pendeam. Cum JUSTITIA rite utroq; modo distribuendâ mihi hic res est, eam impræsentiarum pro virili defendendam suscepi. Ardua sed aureola doctrina; quam laudum evehere curru non audeo, utpote alienis haud indigam encomiis: eò quod ipsa sibi, ex origine divinâ laudes conscribat, cultoresq; & propagatores suos, in sui commendationem, jamdudum allexerit. Quid, quod usus ejus excellens latissimè patet, inq; extremis orbis & urbium oris, aras ipsi fingit. Hæc excellentissima virtutum omnium virtus, ac Regina rerum omnium audit Cic. l. 1. de Nat. deorum. Hæc fundamentum perpetuæ commendationis ac famæ, sine quô nihil potest esse laudabile salutatur. Cic. l. 1. Offic. Verbo: Non domus ulla, non civitas, non ipsa deniq; universitas rerum, illâ sublatâ, se punctum temporis tueri potest. Cic. l. 2. Offic. Tanta ergo nobilissimæ hujus virtutis in Republicâ utilitas, tantaq; dignitas, levidenses hasce pagellas, NOMINIBUS VESTRIS inscribere, calcar & animum addidit. Non eô tamen fine, quasi præceptis his ullâ qua-

dam ratione indigeatis: (quod noctuas esset athenas mittere, & Mavorti dare gladium) sed partim, quod disputandi hoc argumentum, majores PATRONOS, non potuerit invenire; partim, ut illô publicum devotionis documentum, & paratissimæ subjectionis monumentum cognoscatis. Capessite igitur, MAGNI MUSARUM PATRONI, tenellum hunc Musæ meæ fœtum, quem ut devoti cultus specimen, ad pedes vestros, eâ, quâ par est, quaq; debeo, reverentiâ depono: ita nec indignum benevolentiâ in me vestrâ judicate. Chartaceam fateor hanc esse strenam: at NOMINUM VESTRORUM Illustratione, aurea erit, & à mordicante impetentium ac impotentium rubigine illæsa. Quod superest, Deum Opt. Max. Rerump. Fundatorem ac Statorem ardentissimis venerabor precibus, ut VOS, firmissima Reip. fulcra, in Nestoris seram senectutem salvos & incolumes propitius servet, ut sic in pace & salute optatâ, RESP: VESTRA, sub novi hujus anni auspicio, nova indies incrementa capiat. Sic opto, sic voveo, pronus corpore, pronus animô,

V.V: NOBILISS: AMPLIT:

Devotissimus Cliens

GEORGIUS FUNCCIUS,
Autor & Resp.

Σὺν Θεῷ

§. I.

JUstitiam quandam, à totâ Virtute diversam, quæ partis subeat rationem, inque iis, quæ commutanda aut distribuenda veniunt, æqualitatem servet, & suum cuique tribuat, reverà dari, prout quoque datur Injustitia, quæ pars est vitii, inque bonis commutandis aut distribuendis, contra æqvum & justum actiones exercet, jam in superiori discursu politicô, de hâc materia §. 6. sufficienter probavimus, ipseque *Philos. 5. Eth. 1. & 2. nec non 4. Eud. 1.* ex contrariis idipsum probat. Nam quia evidens est, si quis plus justo de bonis fortunæ sibi sumat, & alteri minus relinquat, idipsum de nullô aliô vitiô dici posse, sed à reliquis omnibus distinctum esse; qui enim v. g. in bellô pugnam deserit & turpiter fugit, dicitur ignavus; qui voluptatibus corporis nimium indulget, libidinosus ac intemperans vocatur &c. qui verò plus æquo de bonis fortunæ sibi capit, minus autem aliis relinquit, horum vitiorum nominibus non censetur: igitur & peculiare vitium Injustitia, ejusque opposita Justitia, particularis virtus erit. Cum autem non satis sit, Virtutes τύπῳ δεῖ, καὶ κεφαλαίῳ, explicare; sed etiam requiratur, ut idem fiat ἀκριβέστερον, quemadmodum Arist. exemplô Liberalitatis, *2. Eth. 7.* id ipsum ostendit. Quare etiam nos, in præsenti tractatione, ad modum pictorum, qui, quod rubrica vel carbone antea notarunt, & in typô tantum repræsentarunt, vivis excipere coloribus incipiunt: naturam Justitiæ particularis, pro ingenii tenuitate, graphicè depingemus. Quod ut initiò commode fiat, illud quoque ex ante dictis repetendum erit, quod hæc Justitia versetur circa bona externa, & ea, quibus humana indigentia sublevatur aut im-

impeditur. Quæ cum partim in Commutatione, partim in Distributione consistant, illico patet quod hæc ipsa Justitia Particularis commodissimâ ratione, in Distributivam, græcis, συναλλακτικὴν, & Commutativam, græcis δυναμεκτικὴν seu διορθωτικὴν, ἢ ἐπανορθωτικὴν correctivam morum & commerciorum dividatur. Quo & respicit Philosophus, quando *5. Eth. 2. & 3. nec non 4. Eud. 1. & 2.* duplex Jus statuit, quorum alterum Δίκαιον ἐν ταῖς διανομαῖς: *Jus in distributione consistens*, nominat: alterum vero δίκαιον διορθωτικὸν: *Jus corrigens rerum in commutationibus oborientem inæqualitatem, 5. Eth. 2. 4. & 5. & 4. Eud. 2. & 3.*

§. II. Et hanc Justitiæ Particularis divisionem, omnes, qui vestigia Aristotelis legunt, seqvuntur. Alii vero, quibus ad palatum eadem non est, in hâc sunt opinione, quod tota Justitiæ vis in distributionis officiô sita sit; siquidem tribuere & distribuere cuivis quod suum est, parum aut nihil differant: quare etiam Justitiam Distributivam, non sub speciei, sed ipsius Justitiæ titulum venire statuunt. Unde & sequentem in modum eandem dividunt: in communem scil. & propriam. Hanc solum Magistratum, ad conservandam Reip. statum incolumem, exercere. Ad illam vero præstandam, omnes & singulos esse obligatos, contendunt. Communem verò vicissim vel promiscuè omnibus deberi, vel benefactoribus tantum. Illius speciem esse, innocentiam, veritatem & observantiam. Hujus gratitudinem. Vid. *Abrah. Scultetus 1. Eth. c. 28. p. 86. seq.* Accedit, quod *Cicero l. 5. de fin. & in partit. Orat. nec non l. 3. ad Herenn.* plures enumeret Justitiæ species, v. g. Religionem, pietatem, gratiam, observantiam, liberalitatem, veritatem, comitatem, bonitatem, fidem, lenitatem. *Plato* etiam in *Dialogô de Sanctitate, vel Euthyphrô*, Sanctitatem inter cæteras species Justitiæ numerat, sine quâ, inquit, Justitiæ natura,

nullô

nullô modô consistere potest. Autor quoque libelli *de Virt. & Vitiis apud Arist.* tria enumerat Injustitiæ genera: Impietatem, arrogantiam & contumeliam. Impietatem erga Deos vivosque, aut etiam erga mortuos, tum erga Parentes & Patriam, rectum non servantem. Arrogantiam vero, circa contractus, commerciumque vitæ, supra quam merita est, præpollere volentem. Contumeliam denique, voluptatem sibi ita struentem, ut alios in probrum & dedecus ducat. Igitur & vi contrariorum tres oppositæ Justitiæ species erunt. *H. Grotius l. 1. c. 1. de J. B. & P.* Jus in Facultatem & Aptitudinem dividit. Facultatem dicit, respicere Justitiam Expletricem, quæ propriè aut strictè tantum, juxta eum, Justitiæ nomen obtinet, minusque rectè ab Arist., contra hoc, quod supra asseruimus, συναλλακτικὴν vocari ait: Aptitudinem verò dicit respicere Attributricem Justitiam, impropriè talem; utpote quæ comes sit earum virtutum, quæ aliis hominibus utilitatem afferunt, ut liberalitatis, misericordiæ, providentiæ rectricis. *Hobbes c. 14. Elem. Phil. de Cive*, negat Justitiam Distributivam & Vindicativam, esse duas species, sed unius tantum legis partes admittit. Distributivam appellat prohibitoriam, quæ loquitur ad omnes. Vindicativam vocat Pœnariam & Mandatoriam, quæ loquatur ad Ministros publicos. Rursus omni legi Civili, pœnam annexam esse contendit: & sic omnis lex civilis, quæ juxta eum, eadem est cum Justitia, erit pœnaria, adeoque non dabitur commutativa nec distributiva. Alii denique triplicem Justitiam particularem constituunt, Distributivam, Commutativam & Permissivam. Vid. *Heid. Phil. mor. p. 847.* Verum his omnibus non obstantibus, quorum rationes in conflictu videbimus, divisionem Justitiæ Particularis, supra à Philosophô suppeditatam, hâc vice defendemus.

§. III. His ita præmissis, facile porro Definitio utriusq; Justitiæ

Justitiæ Particularis, suppeditari potest, si meminerimus Justitiam hanc, non solum circa bona externa, & ea, quibus humana indigentia, vel sublevatur, vel impeditur, quæque partim in commutatione, partim in distributione consistunt, versari; verum etiam ipsam Virtutem, mediocritatem vel æqualitatem, in omnibus servare; igitur & Justitia particularis versabitur circa æquale vel inæquale, in rerum externarum distributione & commutatione. Et hinc *Justitia distributiva*, juxta *lib. 5. Eth. 2.* erit *Vitus*, ἐν ταῖς διανομαῖς ἢ τιμῆς, ἢ χρημάτων, ἢ τῶν ἄλλων, ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας: *in distributionibus aut honoris, aut pecuniarum, aut cæterarum rerum consistit, quæ dividi in eos possunt, qui ejusdem civitatis participes sunt.* Objectum ergo hujus Justitiæ, Bona vel Mala externa statuimus; per *Bona*, præmia, honores, & dignitates benefactorum intelligentes. Quamvis enim Virtus, sibi ipsi & præmium & pretium existat, testimonii tamen locô, honores & aliarum dignitatum præmia habet, teste *Scal. l. 3. de re poëtica.* Contra vero per *Mala*, contributiones & onera publica, quæ inter homines dispertiri moris est. Et hanc mentem ipsius fuisse Philosophi, vel verba modo citata probant, in quibus Distributivum Jus, non tantum circa pecunias, & honores versari; sed omnes res quæ dividi possunt in eos, qui ejusdem civitatis participes sunt. Ubi non excluduntur onera, quia non præmiorum tantum ingerit mentionem, sed simul & bona & mala per res communes intelligit, conf. *Horn. Civ. Doct. c. 12. l. 3.* §. *1.* Quodcunque igitur alicui non debetur, vel ut præmium, vel ut onus publicum, facessere hinc jubemus.

§. IV. Justitiam Distributivam sequitur ea, quæ circa contractus occupata, *Commutativæ* nomen habet, utpote quæ in dirigendis contractibus, quibus rerum permutationes instituuntur, occupata est: Quæ etiam propterea Correctiva

vocari

vocari solet, quia in contractibus siquis damnum fecit, corrigit, ac ei, qui plus accepit, detrahit, alteriqve tribuit, qui minus accepit, quò tali ratione æqualitas constitui possit. Unde etiam definitur, quod sit *Virtus*, τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικόν; *quæ in contractibus hominum emendandis versatur 5. Eth. 2.* Materiam igitur habet τὰ συναλλάγματα, rerum commutationes seu contractus. Ubi statim notandum, Vocabulum Contractus in hâc significatione, prout ab Aristotele hoc in locô accipitur, latè sumi, ita, ut non tantum Contractus propriè sic dictos (prout in jure Civili strictè appellantur) comprehendat, sed omnia civilia ferè negocia, ut v. g. nuptias, testamenta &c. imò etiam delicta & scelera complectatur. Et, si dicendum quod res est, etiam ipsi JCti interdum vocabulum Contractus tam latè extendere, & eo usq; porrigere videntur, quando fraudem & delictum contrahere, ipsumq; malum contractum delictum vocare solent, *vid. l. si rerum D. de Re judicata.* Quare & Contractuum juxta *5 Eth. 2. & 4. Eud. 2.* duo assignantur genera, τῶν γὰρ συναλλαγμάτων τὰ δὲ ἑκούσια ἐστι, τὰ δὲ ἀκούσια: aliud est Voluntariorum, quod fit sciente, volente & consentiente utrâque contrahentium parte, quorum species à Philosopho sex recensentur; Emptio & Venditio, mutuatio, commutatio, sponsio, depositum, locatio & conductio. Aliud est Invitorum, qui sic dicuntur propterea, quod alteri parti fiat injuria; seu, quia altera pars non consentit; idq; vel quia ignoravit, vel quia violentiam passa est: totuplex enim invitum esse ex *3. Eth. 1. & 1. M. M. c. 15. & 17.* constat. Unde & Contractus Inviti, rursus duplicis sunt generis: Τῶν γὰρ ἀκουσίων, τὰ μὲν λαθραῖα, τὰ δὲ βίαια: Alii sunt Clandestini, qui fiunt nobis omninò ignorantibus, vel alterâ parte ignorante, prout in furtis, adulteriis, veneficiis, latrociniis, alieni servi abductione, cæde fraudulenta, falsisque testi-

 moniis

moniis fieri solet. Alii verò Violenti dicuntur, quando pars altera vim patitur: seu quando non ignoramus quidem id quod fit, attamen id fieri omninò nolumus, ut sunt verbera, vincula, mors, raptus, corporis mutilatio, convitium, ludibrium &c. quorum distinctam enumerationem & definitionem vid. *ap. Cas. Spec. moral. quæst. p. m. 321.*

§. V. Constitutô itaq; hactenus, juxto definitiones suppeditatas, Objectô Justitiæ particularis; ipsa porrò Forma illius accuratius attendenda erit. Quæ (uti in reliquis virtutibus etiam se habet) mediocritas est inter duo extrema, seu inter plus & minus *lib. 5. Eth. 3. 4. Eud. 2. & 1. M. M. 33. & Riccobonus in 5. Eth. 3.* Si enim injustum, quando v. g. aliquis sibi ipsi plus boni, minus verò mali sumit, alteri verò contra, plus mali, minus vero boni tribuit, inæqvale est, utique justum, & æquale & medium sit necesse est; quod enim æquale est, id medium est inter plus & minus, ac eapropter Justitia æqualitas & Mediocritas erit. Est autem æqualitas, alia Simplex, quæ in duobus ad minimum est; alia Comparata, quando cum prioribus illis duobus, bina alia comparantur; quæ posterior æqualitas eapropter, adminimum in 4. terminis consistit, & propriô nomine Proportio vocatur. Unde cum Justitia æqualitas sit, ut ex ante dictis constat, quatenus ea mediocritas est, inter duo manet extrema, plus nempe & minus: Quatenus verò æqualitas est, quæ ad talia refertur, inter quæ mutuus est respectus, in comparatione consistit & proportione, ac 4. adminimum terminis, qui in duabus personis & rebus duabus intelliguntur, inter quas comparatio instituitur, ita, ut res personis, ac contra, personæ rebus, aut res rebus & personæ personis respondeant, atque sic justa fiat permutatio ac distributio rerum, Proportio verò & comparatio Rerum ac Personarum, consistit in eô, ut Res metiamur ex pretio & valore; Personas verò ex di-

ex dignitate; quæ quanta sit, ex conditione personarum, meritis, laboribus &c. intelliguntur: Quibus inter se rectè comparatis, tantum ex rebus vel præmio nummario, vel honoribus publicis, cuivis personæ tribuendum est, quantum earum merita & res gestæ requirunt. Et cum Dignitas, pro diversitate Rerump. variet; in Democratia enim summa dignitas consistit in libertate; in Oligarchia in divitiis & nobilitate, in Aristocratia verò in Virtute &c. inde res & præmia quoq; variant, & pro dignitate cuivis, quò magis in eâ excellunt, tribuuntur.

§. VI. Proportio autem quid sit, quid Geometrica, quid Arithmetica, à Mathematicis discendum est, ac propterea ex territoriô Mathematicô, ad declarandam Justitiæ naturam huc accersenda. Hoc locô tamen breviter rem explicabimus, idq; ductu textus Aristotelici, in quô circa hanc Justitiæ doctrinam, crebra proportionis fit mentio. Est autem ἀναλογία seu proportio ut Philos. docet *5. Eth. 3, 4. Eud. 2. & lib. 1. M. M. c. 33. nec non Euclides 5. Elem. def. 5. & 8.* ἰσότης λόγου τετάρσιν ἐλαχίστοις, æqualitas rationis, quæ in 4. minimis h. e. terminis, certâ quadam ratione invicem affectis, consistit: ex quibus, quomodo se habet primus ad secundum, ita tertius ad quartum: aut, quomodo se habet primus ad tertium, ita secundus ad quartum. Talis autem proportio & in Justitiâ locum habet, quemadmodum *primò* ex naturâ totius seu generis ostendi potest. Justitia enim est relatum: siquidem ut ex antecedentibus constitit, æquale & medium est inter plus & minus. Æquale autem, teste Philos. *5. Eth. 3. & , 4. Eud. 2.* in duobus minimis consistit, & est πρός τι καὶ τισί: ad aliquid & aliquibus. Aut ut rem declaremus: Justum refertur vel ad Personas vel ad Res. In Personis duo sunt: alter qui distribuit vel permutat: alter cui distribuitur vel cum quô permutatur; quemadmodum etiam in Rebus, quæ distribuuntur aut permutantur,

 alterum

alterum plus alterum minus est. Quare necesse est, Justitiam in quatuor minimis versari, duabus nimirum personis & duabus rebus conf. *Riccob. in 5. Eth. 3. p. m. 609.* *Secundo*, Effectus quoque Justitiam in proportione versari ostendit. Nam, si Personæ sunt æquales, & pares paria consequuntur, pacata manet civitas. Si autem vel Personæ non sunt æquales, vel res non habent æquas, bella, pugnæ, criminationes & querelæ oriuntur, cum non pares paria, & æqui non æqua, aut non æqui æqua habent & accipiunt: ubi semper 4. sunt termini adeoq; proportio; quemadmodum *5. Eth. 3. & 4. Eud. 2. habes.* Verum, non inconcinnè hic quæri posset: Quô pactô Justitiæ, cum sit in rebus, proportio respondeat, quæ circa numeros occupata? Respondemus: Numerum secundum Philos. *4. Phys. c. 11. t. 102.* duplicem esse: μοναδικὸν solitarium, sive abstractum & formalem, qui & numerans dicitur: & ἀριθμητὸν, numeratum, concretum seu materialem, qui cum rebus quæ numerantur conjunctus; estq; in utroque proportio. Ille autem, Mathematicorum proprius est; hic κατὰ μέρος, ex parte in Ethicis, maximè verò in doctrinâ de Justitiâ consideratur. Non enim solum rectè dico, quemadmodum se habet 2. ad 6. ita 8. ad 24: verum etiam ita rectè colligo: quam rationem 2. milites ad 6. milites, eandem habent rationem 8. imperiales ad 24. imperiales.

§. VII. Analogia porrò seu Proportio (ut de eâ hic agamus, quantum ut Philos. loquitur *1. Eth. 13.* ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὸ ζητούμενα, satis est ad ea quæ quærimus) est duplex: alia Geometrica, alia Arithmetica. *Illa*, est æqualitas rationum, in quâ instituitur comparatio numerorum, per quandam similitudinem & non per omnimodam æqvalitatem intervallorum v. g. in his numeris, 2, 4, 8, 16. hic non est identitas, seu æqualitas comparationis, sed similitudo tantum, quæ est inter illud

inter-

intervallum, quo distant 2. à 4. & 8. à 16. Dico enim: Ut se habent Duo ad Quatuor, ita Octo ad Sedecim: & ut binarius bis continetur in quaternario, ita octonarius bis itidem continetur in 16. Vel, ut mavult Philos. *5. Eth. 3. & 4. c. 2.* Proportio Geometrica est, *ἐν ᾗ συμβαίνει καὶ τὸ ὅλον ἑκάτερον πρὸς ἑκάτερον: in quâ eadem totius ad totum, quæ partis ad partem est ratio. conf. l. 2. Eth. c. 6. Hæc autem*, est quando numeri ita progrediuntur, ut æqualis inter omnia distantia sit. Talis proportio est in istis numeris, 3, 6, 9, 12. Quantum enim distant 3. à 6. tantum 9. à 12. Et ut ternarius à senariô tribus superatur unitatibus, ita & novenarius à duodenariô. Differentia itaq; inter Proportionem Geometricam & Archimeticam hæc est: quod Arithmetica proportio distantiam terminorum ostendat, quot nempe unitates inter 2. terminos interjectæ sint, sive quot unitatibus alter terminus ab alterô distet, uti ex exemplo ante positô patet. Geometrica verò ostendit, quoties minor numerus, in majore contineatur v. c. in præcedenti exemplo, quoties 2. continentur in 4. & 8. in 16. Ex quibus patet, Proportionem Arithmeticam spectare æqualitatem Quantitatis tantum: Proportionem verò Geometricam, spectare æqualitatem Qualitatis tantum & rationis, v. c. Proportio Arithmetica est, cum plures numeri ita deinceps ponuntur, ut differentia qua alter ab altero distat, aut qua alter alterum excedit, quantitate quidem æqualis sit, qualitatis verò inæqualis & rationis diversæ, v. g. sint termini 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. in his quantum distant 3. à 2. tantum etiam distant 4. à 3. & 5. à 4. &c. Unde in omnibus his, differentia quantitate est æqualis, est enim in omnibus unitas: At vero ratione & qualitate, differentia in omnibus his eadem non est, sed alia atq; alia: 4. enim ad 3. habent qualitatem & rationem sesquitertiam, quia 4. & 3. & tertiam insuper partem ejus numeri scil. unitatem continet: 3. verò ad 2. ses

qui alterâ constat ratione, cum 3. in se & 2. & dimidium ejus numeri scil. Unitatem complectantur. Ex quibus & hoc patet, Arithmeticam proportionem servare æqualitatem quantitatis, neutiquam verò rationis & qualitatis. At verò Geometrica proportio, quæ proprie proportio est, & dicitur, servat æqualitatem rationis seu qualitatis, quantitatem autem eandem non tenet. v. *Eustratium comment. in 5. Eth. c. 2.*

§. VIII. His jam explicatis, per metaphoram quandam Proportionem tum Geometricam tum Arithmeticam, ad Doctrinam præsentem de Justitiâ transferentes, quænam harum in Distributiva aut Commutativa locum habeat, examinabimus. Quod autem omnis justa Distributio, non aliam, quam Geometricam adhibeat proportionem i. e. talem, quæ non ad æqualitatem quantitatis, sed qualitatis v. c. personarum & rerum respicit, id sane manifestum est: cum neq; præmiorum neque onerum distributio, rectè aliter institui possit, quam secundum meritum cujusq; & prout alter alterô magis minusve dignus existit. At verò, ubi meritum & dignitas personæ spectatur, & exinde æqualitas attenditur aut medium capitur, atq; intuitu ejusdem distributio procedit, ibi sane non observatur æqvalitas quantitatis, ita ut unus tantum accipiat vel præmii vel oneris; quantum alter; sed attenditur ad æqualitatem qualitatis personarum, quibus præmia vel onera distribuuntur. Ubi verò æqualitas qualitatis obtinet, ibi proportionem non Arithmeticam sed Geometricam locum habere, ex definitione proportionis Geometricæ constitit. Exemplum hujus rei in Præmiis; sint v. g. spolia dividenda inter Ulyssem, Patroclum & Achillem, quæ distributio ut rectè & juste fiat, præmia ampliora tribuantur iis, qui diutius & præclarius operam suam Reipublicæ navarunt, ut Patroclo duplo & Achille triplo fortius pugnante præ Ulysse, spolia illi quidem duplo, huic vero triplo pretiosiora

fiora & ampliora assignentur, quam sunt illa, quæ Ulysſi obveniunt. Quod autem Onera concernit, ſit exemplum, tale v. c. ſit hic Mercator aut Opifex, alter Agricola vel Miles, tertius Doctor & Profeſſor, quibus omnibus onera publica imponenda eſſent. Jam, non omnibus æqve magna, obſervatâ æqualitate quantitatis, vel proportione arithmeticâ, injungenda ſunt onera; ſed id juſtum ac æqvum eſt, ut ille, qui plus commodi attulit conſervationi & augmento ſocietatis civilis, onerum gravitate præ iis levetur, qui minus eam amplificarunt, adeoq; diminutione alicujus mali, plus boni inde accipiat. Quare etiam, cum magna Reipublicæ præſtant merita, Mercatores & Opifices, majora verò Agricolæ & Milites, maxima denique Profeſſores & Doctores, neceſſe eſt, ut ſecundum eam proportionem quam quilibet ratione ſui meriti ad totam Civitatem habet, diſtributio fiat onerum. Conf. *Plato l. 6. de legibus*, & *Iſocrates in Areopagiticô.*

§. IX. Quemadmodum autem in Juſtitiâ Diſtributiva, locum obtinet Proportio Geometrica; ita contra in Juſtitiâ Commutativâ ſeu correctivâ, Proportio Arithmetica locum tenet, & non ad æqualitatem qualitatis, ſed quantitatis reſpici debet. Cum enim prior iſta Juſtitia, Diſtributiva nempe, verſetur circa res communes, & ad Remp. ſpectantes, inter cives ſc. pro dignitate & meritô cujusvis diſtribuendas, ut honores, præmia labores, pericula &c. Hæc, Commutativa ſc: aut correctiva Juſtitia, circa res privatas verſabitur, quæ inter privatos certâ quadam ratione in contractibus ſunt permutandæ; in quibus rebus, quia nequaquam ratio perſonarum à qualitate, conditione, ſtatu, meritis & dignitate habetur, ſed nuda rerum æqualis ſpectatur quantitas, utiqve non alia, quam Arithmetica proportio locum habebit, prout & illius leges, non qualitatem ſpectant perſonarum, ſed omnes ſine

diſcrimine

diſcrimine obligant, & in facta earum animadvertunt, non attendentes, utrum improbus probum, an verò probus improbum defraudaverit, ſed ipſius facti differentiam ſimpliciter perquirunt, & ad quantitatem ſolum reſpiciunt, quantam ſc. injuriam alter fecerit, alter verò paſſus ſit. Eſt autem & hæc Juſtitia Commutativa, mediocritas aliqua inter plus & minus, quod hic Lucrum & Damnum vocatur, voce hâc Lucri late nimis ac improprie accepta, pro omni eô, quod damno opponitur, tam in contractibus ſpontaneis quam invitis ſupra enarratis: in quibus omnibus Lucrum id appellatur, quod eſt plus boni & minus mali; Damnum verò id, quod eſt plus mali & minus boni; Juſtum autem, quod æquale eſt, ſeu quod inter hæc duo medium exiſtit. Quod autem in tali æqualitate vel mediocritate, Juſtitia hæc conſiſtat, vel ex officio Judicis patet, qui medium ſemper tenet in judicando, & id quod in controvertentium factô inæquale eſſe deprehendit, ad æqualitatem & medium reducit, detrahendo ſcilicet alteri, qui plus habet, & addendo alteri, qui minus habet. Non ſecus, ac ſi linea in partes inæquales ſecta ſit, & quis ſuperflua majori demat, & addat minori, ſic enim æquales in partes dirimetur. Patet etiam hoc ipſum ex græcô nomine, quando ſcilicet Judices μεσίδιοι quaſi διὰ μέσον ἴοντες, qui per medium tranſeunt, Græcis vocantur, & δικαςαὶ quaſi διχαςαὶ, quod duas in partes aliquid diſpeſcant, & ipſum δίκαιον quaſi δίχα ſit, & bipertitio fiat. Ariſtoteles 5. *Rhet.* 4. Mediocritas ergo erit Juſtitia Commutativa, at non niſi ſecundum proportionem arithmeticam, ut ſc. æqualia ſint terminorum intervalla, & eadem utrobiqve ſervetur quantitas, ita, ut merces v. c. quæ permutantur, æquales ſibi pretio & valore reſpondeant, nec altera ſuperetur, ſed æqualis æſtimationis quantitas exiſtat, nullâ habita ratione qualitatis, nulloqve delectu perſonarum inter ſe vel permutantium vel contrahentium. Peccavit

cavit itaqve Cyrus puer apud Xenophontem, dum Justitiam Distributivam ad contractus accommodabat, & vestem breviorem majoris pueri dans minori, longiorem minoris majori adjudicabat. It: Pythius, qui apud Ciceronem Canium: & Claudius qvi Calphurnium decipiebat *Cic. l. 3. Offic.* Item Prothagoras & Evathus apud Gellium *lib. 5. c. 10.*

§. X. Ut autem natura hujus Justitiæ, rectè & accurate intelligatur, sciendum est ita adhibendam esse *ἀναλογίαν ἀριθμητικὴν*, proportionem Arithmeticam, ut tamen non insuper habeatur proportio Geometrica. Distinguendum videlicet est, inter rerum quæ permutantur æstimationem, & inter earundem jam æstimatarum permutationem. *In priori*, servanda est proportio Geometrica: quia non semper requiritur, ut res (cum non prorsus inter se sint æquales) ejusdem speciei eôdem numerô & quantitate cum alterâ commutetur, sed sufficit, ut res pretio alteri respondens, pro eâdem reponatur. *In posteriori*, cum scilicet res proportionaliter invicem jam adæquatæ, sine personarum respectu, & citra excedens lucrum damnumq; cum alterius contrahentis injuriâ, conjunctum permutantur, servanda est proportio Arithmetica. Et hoc quoqve ipsum Philosophum asseruisse, verba sequentia 5. Eth. 5. docent. *In commutationibus*, inquit, *rerum contrahendarum ac permutandarum, sane tale jus, quod reciprocam perpessionem seu talionem nominant, proportione, non æqualitate societatem civilem continet:* Et paulo post: *Si primum æqualitas sit ea, quæ proportione constat, deinde reciproca perpessio seu talio fiat* (hoc est tantundem accipiatur, quantum datum est) *extabit id, quod â nobis dicebatur.* Unde Giphanius ad hæc verba *comment: in 5. Eth. c. 5.* sequentem in modum scribit: *Non satis esse rationem, i. e. simplicem rerum & operarum vicissitudinem; sed hoc amplius,*

 necessa-

necessariam esse analogicam æqualitatem (geometricam proportionem) atq; adeo in rebus permutandis hunc esse servandum ordinem, ut prius æqualitas, postea adhibeatur talio: Quia cum res, quarum est permutatio, sint inæquales, tam quantitate, quam qualitate, (sc: numerô, magnitudine, aut bonitate) hæ nisi æquentur, non erit permutatio, & proinde nec rerum communicatio, neq; hominum inter se Societas, neqve Respublica. H. I.

§. XI. Sed nova ex hactenus dictis suboritur quæstio: num Jus (ut vocatur) Talionis justum sit, & ad aliquam earum, quæ hactenus expositæ sunt, Justitiæ specierum pertineat nec ne? Videtur enim nonnullis, utpote Pythagoræis, Justitia seu Jus nihil aliud esse, quam τὸ ἀντιπεπονθὸς ἁπλῶς, simpliciter par pari referre, & simplex talio. Latinis dicitur Jus Talionis, quoniam aliquis tale quid, in eadem quantitate & qualitate patitur, quale fecit. Ab Imperatoribus *lib. 8. C. Theod. de exbib. reis, pœna reciproca* vocatur, à Theoph. *in §. pœn. Inst: de injuriis* ταυτοπάθεια nominatur. Juris autem hujus autorem Rhadamantum ferunt, severum apud inferos Judicem, quem secuti Pythagoræi, solam hanc talionem, pro jure venditabant, cujus juris *A. Gellius* quoqve meminit *l. 20.* & Retaliationem vocat, cum simpliciter paria pro paribus, & qualitate & quantitate rependuntur. Et, quanquam hoc Jus etiam in Sacris constitutum esse videatur, *Exod. 21. Deut. 9. v. 21. Math. 7. v. 12. & Math. 5. v. 38.* itemqve in *XII. tabulis* his verbis exprimatur: *Si membrum rupit meum, è pactô talio esto* i. e. vicissim membrum rumpatur: tamen nude & simpliciter istud acceptum, neqve jus est, neqve ad Justitiam, sive in genere sive in specie eadem consideretur, pertinebit, sed aliud quid, nempe Proportio supra descripta, ipsi adjungenda erit,

ut

ut Jus & Justitia dici possit. Quod itaqve Talio simplex vel sola & simpliciter accepta, nulli Justitiæ in genere conveniat, vel inde patet, quod maxime in Justitia considerari debet τὸ ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, spontaneum & invitum *lib. 5. Eth. 5. & 1. M. M. c. 34.* nec non *4. Eud. c. 3.* In Jure autem talionis ἁπλῶς sumptô, illa considerari non possunt. Si enim te aliquis liberaverit lethali morbô laborantem, alius à Piratis redemerit, & Jus talionis observare velis; oportebit illum quidem ægrotare, te verò Medicum fieri: & quâ ille fortuna in te curandô usus est, eandem in ipsô curando experiri: hunc autem in Piratarum manus venire, ut eum redimere possis, quod absurdum. Quam ob causam etiam Philos. I. M. M. c. 34. innuit: quod justum non sit, *si quis alteri oculum excusserit, oculus tantum ei contra excutiatur, sed requiratur, ut proportionis habitâ ratione plura patiatur: cum non tantum inceperit, verum etiam prior intulerit injuriam, & in ambobus injuste fecerit.*

§. XII. Secundo, Jus illud Pythagoricum, in specie, neque in Justitiâ Distributivâ neqve in Correctivâ locum habet Non in *Illâ*, quia Personarum habet respectum, ut inter illas distribuat, quod eorum dignitati & meritis conveniat v. g. Si subditus tanquam, homo privatus, Imperantem percusserit, non solum est repercutiendus ut talio vult, sed etiam suppliciô afficiendus *lib. 5. Eth. 5. & 4. Eud. 3.* Neque in *hâc*, quoniam res quæ in contractibus commutantur, non ejusdem semper sunt generis vel speciei, sed diversæ interdum. Ita libram auri, cum librâ ferri, sextarium Vini cum aquæ sextario, permutare non licet. Interim tamen, non recte hinc infertur: Omnem talionem exulare à Justitiâ: quod sine illâ, societas humana, conservari non possit. Licet enim

sim-

simplex talio in Justitia non requiratur; κατ' ἀναλογίαν tamen & ex proportione requiritur, in quâ & Personæ & Res quæ sunt distribuendæ aut permutandæ, ad certam æqualitatem, secundum proportionem sunt redactæ. Est enim hôc modô in omnibus factis par referendum, sive bona illa sint sive mala. Tolle bonorum retributionem? pauci rectè agere cupient; tolle injuriarum vindicationem? Servitus vel Tyrannis orietur. Maxime verò hæc talio κατ' ἀναλογίαν sumpta, admittitur in Justitia Commutativâ. Nisi enim proportio inter res permutandas instituatur, ut ad aliquam inter se æqualitatem redigantur, justè commutari non possunt.

§. XIII. Ne autem in tractatione Justitiæ & hoc prætermisisse videamur, coronidis locô quærēmus: Ex quâ Justitiæ particularis specie Pœnæ infligantur? Ardua sane hæc est quæstio, inter Philosophos pariter, JCtosq; vexatissima; imò in universa Ethica nihil eâdem magis controversum. Censent alii, dum pro Geometrica proportione strenue dimicant, eandem ad Distributivam Justitiam referendam esse; Alii verò, dum secundum proportionem Arithmeticam pœnas irrogari contendunt, ad Commutativam. Non pauci, è quorum numerô est Bodinus *l. 6. de Rep.* Harmonicam adhibendam esse, volunt. Verum, quia in postremâ hâc proportione, simplex, & qualis in numeris, obtinet æqualitas v. *Grot. lib. 11. de J. P. & B. CXX.* §. 33. & Musica etiam propterea Arithmeticæ subalternetur ut constat ex *1. Post. Analyt. c. 7.* de eâ nunc quidem nihil, sed de prioribus disquisitio instituetur. Et quidem initio pro Geometrica qui pugnant proportione, pro se (1.) *Exempla* tum sacra, tum profana allegant. Sic & ipse Deus non semper attendit causas, sed

non-

nonnunquam Personas. Ideò se parcere velle Sodomitis ait propter 10. Justos. *Gen. 18. v. 32.* Sic Israelitæ post μοσχολατρείαν in desertô veniam consequuntur, ob intercessionem Mosis. *Exod. 32.* Sic propter Regem Davidem, sempiternam Judæis pollicetur misericordiam. *Psal. 98. v. 5.* In gratiam Pauli donavit vitam omnibus, qui unà cum ipsô, in navi vehebantur. *Act. 23. v. 24.* Ita etiam Scipio, seditionis crimen donavit exercitui, quem Justinianus ob idem facinus ferè totum morti addixit. *Zon. & Cedren. in Justin.* (2) ad *Experientiam* provocant, qua nobiles aliosque viros benè meritos mitius puniri videmus; ubi certe respectus personarum, adeoque proportio Geometrica attenditur. (3.) Quod *pœna mere quid Personale sit*, ac propterea non possit nisi necessariò ex personæ variis qualitatibus determinari. (4.) *Autoritate* probant *Philosophi 5. Eth. 8.* dum Magistratum unà cum aliô privatô, quempiam privatorum percutientem, non repercutiendum esse, jubet. Cum præterea permultum quoq; intersit, inter id quod sponte nostra, & id quod invitè facimus. Accedit (5) *quod Princeps* hic *jus habeat dispensandi* seu mitigandi, imò plane reum absolvendi. Et hujusmodi rationum pondera, quam plurima adducunt. Alii è contra, qui pro Arithmeticâ proportione militant, sequentibus hanc suam sententiam confirmant rationibus: (1.) *Quod in Lege divinâ* προσωποληψία *simpliciter probibeatur. Deut. 16. Levit. 19. Deut. 1. & 9. &c.* (2.) *Ex Jure Gentium.* Sic Romani olim Legibus sumptuariis, Fannia, Licinia, Æmilia, Aneja, Julia, omnibus earum violatoribus ex æquô easdem decreverant pœnas. *Macrob. l. 3. Saturn. c. 16. Gell. l. 2. Noct. attic. c. 24.* (3) *Ex officiô Judicis.* Judex enim ex ratione officii, unicuique id quod suum est, tribuere tenetur. Hinc Græcis dicitur δίκαιος, quasi δίχαιος, per

per medium transiens, propterea, quod observet æqualitatem. *Arist. 5. Eth. c. 4.* (5.) *Quod Pœnæ*, non Nobilibus, Plebejis, Dominis aut Servis &c. Sed homicidis, furibus, adulteris irrogentur, adeoque non Personis sed delictis. (6.) *Quod ipse Philos.* huic faveat asserto 5. *Eth.* 7. Ubi, *nihil*, inquit, *refert probusne Vir malum, aut malus improbum, suô privarit, neque probus an improbus adulterium commiserit, sed ad solam nocumenti differentiam lex spectat, perindeque Personis utitur, ac si æquales sint.* Hæc & similia quam plurima nervosè satis ab Arnisæô *Doctr. Polit. c. 17:* & aliis, proponuntur. Sed facilis harum opinionum videtur esse conciliatio, si modo *pro præsenti* distingvamus, inter inæqualitatis vel damni per delictum illatæ, illative correctionem & exæquationem, & inter scandali dati abolitionem, seu pœnam quæ delicto hujusmodi imponi solet; quæ fusius tamen in conflictu ipsô deducemus.

TANTUM.

ΠΡΟΣΘΗΜΑΤΑ.
MATHEMATICA.

I.

TErra magis illuminatur & calefit tempore hyemali, quam æstivô.

II. Lu-

II.

Lunam quoque, in noviluniô magis, quam in plenilunio illuminari, notorium eſt.

III.

In omni Ecclipſi, tres ſimul ecclipſes oriuntur.

IV.

A verô non abludit Plinius, quando lib. 2. Hiſt. natur. c. 13. Solem etiam in Eclipſi lunari, ſupra terram conſpectam teſtatur.

V.

Etſi totum corpus Lunæ, tantum

in

in 12. digitos dividatur, tamen ad 23. obſcurari poſſe Lunam, haud abſurde dicitur.

VI.

Periodicus motus Solis, calculo exaſſe non poteſt determinari.

VII.

Planetæ non ſunt Planetæ.

VIII.

Quatuor anni partes æquales eſſe aſſerimus; eas tamen æquali motu Solis, æqualiter abſolvi, negamus.